

SCRIBONIVS LARGVS

tas vomicas aut iam factas; praeterea ad iocinoris, praecordiorum duritiam vel dolorem bene facit; proderit et in omni loco dolenti impositum: cyperi, ammoniaci guttae, cardamomi, bdellae, thuris, resinae terebinthinae, singulorum pondo besem. thus et bdella macerantur pridie vini hemina una, cetera contunduntur; cerae pondo libra et triens et olei cyprini 5 sextarius unus cum terebinthina liquefiunt ceterisque commiscentur. quidam adiciunt myrrhae pondo sextantem, croci pondo sextantem, cinnamomi pondo sextantem.

CCLXVI. Malagma ad luxum, contusum, canis morsum, parotidas, strumas, podagram: cerae pondo dua, resinae frictae pondo dua, picis 10 Hispanae pondo tria, ammoniaci pondo libram, thuris pollinis pondo semis, galbani pondo semis, aceti 8 duos. ammoniacum tritum cum aceto solvitur igne; deinde resina, cera, pix adicitur et coquitur, usque dum spissetur; postea thus admiscetur. ubi emplastri habuerit temperamentum, medicamento tepente galbanum adicitur. 15

CCLXVII. Malagma ad podagram et omnem dolorem et tensionem nervorum: ammoniaci guttae pondo I, cerae pondo I, axungiae veteris selibram, olei veteris pondo trientem, olei cedrini pondo unciam, rosae pondo sextantem, cyprini pondo sextantem, croci pondo sextantem, Assi lapidis pondo unciam, myrrhae pondo unciam, aphroniti pondo semunciam. patella nova liquefit axungia, cera cum oleo vetere; quibus adicitur ammoniacum tritum et movetur, usque dum solvatur; postea oleum cyprinum, rosa et cedria in unum miscentur et tunc subducitur flamma, ne fervescat medicamentum. secundum quae adicitur